

uniformi & minimè variabili causa deducendus est? At flatum, ventorumque commotionem violentam esse constat omnibus. Nec sufficit, motu res incallescere, quod physico-
 sicorum est pronunciatum, cum id ipsum non per se, sed *συμβεβηκός* accidere videatur, dum attritione partium minimarum ignea qualitas ex aëre vehementer alterato produ-
 ducitur, qua ratione plumbum extremum sagittarum jactu velocissimo per aërem commotarū liquefcere, tritu duorum lapidum, seu lapidis & chalybis, imò & Leonis ossium juxta *Philosophum 3. de hist. an. capit. 7.* vel durissimorum lignorum, hederæ videlicet, lauri, vitis sylvestris & labruscæ, juxta *Plinium lib. 16. Nat. hist. cap. 40.* ignem elici, curruum axes deficiente materia humectante & inurgente incendi, molas farinarias inardescere, soleas equorum scintillare, nubem constrictam fulgurare videmus.

Vide Coll. Connimb. lib. 2. de Cælo cap. 7. q. 6. Motus vehementia res incalescunt per accidens.

Proximus ergo *Democritus* rem ipsam attingere conatus est, qui referente *Baccio lib. 1. de Thermis capit. 17.* & *Savanorola lib. 1. de Baln. cap. 1.* caliditatem thermarum à calce deducebat, ut aqua montes calcis in terræ visceribus præterfluens incallescere, eo modo, quo calcem vivam per aquæ affusionem incallescere conspiciamus. Sed ubinam calx unquam viva sub terris visa vel alicubi effossa est, inquit *Iul. Alexand. lib. 7. Salubr. cap. 4.*

Opinio Democriti, calorem thermarum à calce deducens.

Refutatur prædicta opinio.

Ponamus simile quid reperiri, putas ne calcis ejusmodi materiam tam diuturno thermarum fervori sufficere posse? annon semel extincta calcis materia nunquam redi-
 viva conspicitur? quis terræ *Vulcanus* lapides calcis vivæ, sine præcedenti combustione vel calcinatione penitus ad aquæ calefactionem ineptos, artificis more, quod in præparatione calcis necessarium esse lippis & tonsoribus notum, disponeret, igne substrato incenderet

B 3

& justo